



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXII. Gregorii Papae I. Ad Leonem Episcopvm Catanensem. De
Samaraeis, qui pagana mancipia emerunt, & circumcidereunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ment impediri, solicita vos hæc conuenit consideratione seruare: ut si paganos, quos mercimonii causa de externis finibus emerint, intra tres menses, dum emptor cui vendi debeant non inuenitur, fugere ad ecclesiam forte contigerit, & velle se fieri dixerint Christianos, vel etiam extra ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, precium eorum ibi a Christiano scilicet emptore percipient. Si autem post præfinitos tres menses quisquam huiusmodi seruorum velle suum edixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venumdare, sed ad libertatis procul dubio præmia perducatur; quia hunc non ad vendendum, sed ad seruendum sibi intelligitur comparasse. Hæc igitur omnia fraternitas vestra ita vigilanter obseruet, quatenus ei nec supplicatio quorumdam valeat nec persona surrepere.

EPISTOLA XXXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD LEONEM EPISCOPVM CATANENSEM

De Samaræis, qui pagana mancipia emerunt,
& circumcidereunt.

Gregorius Leoni episcopo Catanensi.

Ioan. diac.
lib. 4. epist.
49.

RE S ad nos detestabilis & omnino legibus inimicapter uenit, quæ, si vera est, fraternitatē vestram vehementer accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem quod Samaræi degentes Catanæ, pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere ausu temerario præsumpserint. Atque idcirco necesse est, ut omnimodo zelum in hac causa sacerdotalem exercens, cum omni hoc viuacitate ac sollicitudine studeas perscrutari: & si ita repereris, mancipia ipsa sine mora in libertate modis omnibus vindica, & ecclesiasticam eis tuitionem impende, nec quidquam dominos eorum de precio quolibet modo recipere patiaris: qui non solum hoc damno mulctandi, sed etiam alia erant pœna de legibus feriendi.